

## Anhang.

### Curriculum vitae.

Natus sum ego Franciscus Josephus Engel a. d. IV. Nonas Maias anni MDCCCLXVII in vico prope Schafnaburgam sito, qui Heigenbrücken appellatur. Inde mei etiamtum infantis parentes in alteram Franconiae Inferioris partem, qua ad orientem illa quidem spectat, transmigraverunt sedemque in oppidulo constituerunt, quod Zeil vocant.

Expleto ibi decimo aetatis anno cum relicto litteratoris ludo latinae graecaeque linguae primum Hassfurti, deinde Babenbergae operam dare coepisse, tam prospero in perdiscendis ingenuarum artium elementis usus sum eventu, ut percursis deinceps novem gymnasii classibus vicesimum aetatis annum agens inter cives academicos universitatis litterarum Monacensis receptus sim.

Ibi cum ad ediscendas praecipue litteras graecas et latinas per quattuor annos commorarer, multus eram in frequentandis scholis virorum gloria humanitatis ac doctrinae clarissimorum, in primis Guilelmi Christi, Eduardi Wölfflini, Rudolfi Schölli, atque ne seminarii quidem philologici segnis aut deses fui cultor. Brunnium quoque Henricum de monumentis artis veterum doctissime et subtilissime disserentem nec non Heigelum et Grauertium viros historiae peritissimos audivi. Alios praeterea viros doctrina excellentes, quorum auditionibus tum usus sum, enumerare longum est. Quibus omnibus pro incrementis, quae ex uniuscuiusque eorum scholis animus cepit, gratiam habeo quam maximam.

Nec paenituit me operae in tot tamque plenis humanitatis rebus consumptae. Nam transactis modo studiis academicis viri